



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XL. Gregorii Papae I. Ad Evmdem. De submouendo clericorum
dominio in monasteriis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

vobis poscere sacerdotem, atque vos quid de ea re fieri debeat dubitare, & nostrum euidenter expectare mandatum. Postquam ergo quemquam criminaliter abscedentem in locum de quo lapsus est nulla permittit ratio reuocari, & ultra tres menses ecclesiam vacare pontifice statuta sacrorum Canonum non permittunt, ne cadente pastore, dominicum gregem antiquus, quod absit, hostis insidiando dilaniet, fraternitas vestra deprecationi eorum consentire, & in loco lapsi debet episcopum ordinare. Nam dum non petentes eos etiam ante vestris ad hoc debueratis adhortationibus admonere, postulantes nulla vos oportet excusatione differre: quia ecclesia Dei diu viduata proprio episcopo remanere non debet.

Grat. dist. 50. cap. 11. Anselm. lib. 8. cap. 25.

EPISTOLA XL.
GREGORII PAPÆ I.
AD EVMDEM.

De submouendo clericorum dominio in monasteriis.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.

DV DVM ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria in Rauennæ partibus constituta omnino clericorum vestrorum dominio prægrauari, ita vt occasione quasi regiminis ea, quod dici graue est, velut in proprietate possideant. Quibus non modicum condolentes, decessori vestro epistolas misimus, vt hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citius occupatus, ne hoc onus monasteriis remaneret, fraternitati vestræ hæc eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, vt comperimus, in huius rei hæctenus correctione cessatum est, hæc ad vos iterum præuidimus scripta dirigere. Hortamur ergo, vt omni mora omnique excusatione submota, ita monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenus nullam deinceps in eis clerici vel hi qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant nisi orandi tantummodo causâ accedendi licentiam, aut si forte ad peragenda sacra Missarum fuerint inuitati mysteria. Sed ne pro cuiuslibet monachi aut abbatis promotione aliquod onus monasteria fortasse sustineant, studendum vobis est, vt si quispiam abbatum aut monachorum

Ioan. diac. lib. 2. cap. 54.

Grat. 8. qu. 1. cap. 87.

Grat. 16. q. 1. cap. Ne pro cuiuslibet.

Concil. Tom. 13.

D d d d

ex quocumque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat ulterius, ut diximus, potestatem, ne monasteria huius occasionis velamine ea quæ prohibemus sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare iam secundo commonita sanctitas vestra non differat, ne si post hæc negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam vobis notum sit, quia tantæ necessitati servorum Dei congregationem amplius subiacere non patimur. Ne vero aliqua vobis excusatio de monachis oriatur, personam huc quam præviderit vtilem ex opere fraternitas vestra transmittat, & ei nos, qui cum eo ad vos venire possint, monachos deputabimus, quos, ut prospexeritis, debeat in monasteriis ordinare, si tamen talia loca sunt, ut sit unde ibi subsistere valeant.

EPISTOLA XLI.

GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM DIACONVM PER SICILIAM.

De Paula, & quodam Iudæo malefico.

Gregorius Cypriano diacono per Siciliam.

QVESTA nobis est Paula presentium latrix, quemdam Theodorum ex Iudæo sibi nimis frustra inimicum existere, intantum ut, quod dici nefas est, iniquitate maleficiorum eam lædere moliatur, atque ab hominibus ecclesiæ Messanensis eundem Theodorum contra hoc facinus fortius instigari. Dilectio igitur tua studeat, ut nullus ecclesiasticorum prædictæ mulieri in hac causa tentet adversus existere. Sed ad inuestigandum hoc ipse, ut potueris, esto sollicitus. Et si superscriptus Theodorus tantæ iniquitati obnoxius esse patuerit, ita hoc districta ultione per hos quorum interest facias vindicari, ut & Deus placari possit, & aliis exemplum coercionis sit.